

Alte Drucke

**CHRISTOPHORI || GEORGII A BERGE || EQVITIS SILESII || DE
|| Præstantia Monarchiæ || ORATIO || Habita in consessu
Academico Heidel-||bergæ, anni ...**

Berge, Christoph Georg von

Heidelbergae, 1596

VD16 ZV 30870

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149430

51
CHRISTOPHORI

GEORGII ABERGE

EQVITIS SILESII

DE

Præstantia Monarchiæ

O R A T I O

Habita in confessu Academico Heidel-
bergæ, anni currentis mensis
Ianu, die Septimo.

Præsente Illustrissimo & Florentissimo
Principe, FRIDERICO IV,
Electore Palatino, duce
Bavaria, &c.



HEIDELBERGÆ,
Typis Smetsmannianis clō 16 IV G.

Don. Carl. Amelung. f. m. d. lib.



A D

Magnificum & Nobilissimum virum, Dn. IOACHIMVM A BERGE in Herndorff & Claden, S. Cæsar. Maj. Consiliarium, patrum meum venerandum.

*M*agnifice & Nobilissime Joachime, patrue patris mihi loco semper venerande. Quemadmodum Epaminondas latatus est, gloriosam se ab hostibus victoriam vivis parentibus reportasse: ita a multis ego annis hoc unum in votis habui: ut tibi vivo & studiorum meorum fructum, & filialem observantiam prokarem, tibi, inquam, qui & studia mea consiliis tuis promoveris, & memorabili erga Pietatis propagatione exemplo in filium me adoptaris. Et si autem multa meis hactenus conatibus obstiterint: tamen perrupi tandem omnia difficultatum repagula: & ex umbra privata in lucem publicam prodii, orationemque hanc in Academia hujus oculis habui: quam idcirco ad te mitto: ut intelligas me in eo totum laborare: ut septuagenaria tua senectus in juventutis meæ studiis lata acquiescat, Bene & felicissime Vale, Magnifice patrue, & hunc tibi animum commendatum habe. Heidelbergæ 12. Januarii anno 96.

M. T.

Filius adoptivus

Christoph. Georg. a Berge.

Handwritten text at the bottom of the page, likely a library or collection stamp.



ORATIO DE PRAESTANTIA MONARCHIAE.

EVIDEM optarim, Illustrissime & florentissime Princeps Elector Domine clementissime, illustris & generose Comes, clarissimi Academiae Professores, studiosissimi juvenes: optarim inquam, ingenij mei motus, ita esse aut ad inveniendum acutos, ut mihi met ipsi satisfacere; aut ad dicendum ornandumque uberes, ut vestrae expectationi respondere possem: eniterer certe ut hujus auctoritatem loci non temere contigisse judicaret. Quam enim hoc nunc esset tempore opportunum! quam commoditate praclarum! quam honestum dignitate! Verum enim vero, cum neminem vestrum fugiat, nec ego ignorem, qui cathedram hanc conscendunt meorum aequalium, eos non inanem dicendi gloriolam aucupari: sed publicam exercitationum umbratilium vel approbationem vel confirmationem quaerere: non multum mihi, si de excusanda ingenij mei tenuitate, si de concilianda mihi benevolentia vestra, duco laborandum. Propositum mihi est, auditores, hodierno die in solemnibus hoc vestro confesso, de Monarchiae adeoque principatus unius praestantia disserere: idque tum rationum momentis ex ipsis interiorum ac reconditarum disciplinarum fontibus tum explorum testimoniis, ex antiqui temporis repetitis memoria. Cuius in tractationis vestibulo, quanta desperatione debilitarer, si spinosas & argutas a me disputationes exigere scirem: tanto nunc perfundor gaudio, qui certus sum, vos mediocri mei exercitij oratorij fructum expectare. Quo itaque intentiori animo hanc omnem comprehendamus disputationem nostram, licet contrahere totam universitatem generis humani, eamque gradatim deducere ad singula societatis civilis corpora, coetus, collegia: quorum

rum certe nullum unquam (cum civitatis eiusdem, propter legis & juris, quam recta constituit ratio communionem, habeantur cum Deo homines, eiusdemque gente ac familia teneantur) quam ad divinæ sapientiæ & naturæ ipsius præscriptum administrari poterit felicius. Nam si universa connexa inter se & conjuncta, unius Dei parent consilio ac rationi, singula quoque per se, suâ natura, unius hominis efflagitabunt imperium. Etenim tum demum in tota hac rerum universitate consonantissimam effici harmoniam, si partes cognationem aliquam ostendant totius & consensionem, non necessaria modo Logicorum argumentatione concludimus: verum eiusdem etiam rei veritatem jam multis ante seculis florentissimæ expertæ fuerunt civitates: ad quatum certe felicitatem accessit plurimū, quando singulæ in civitate familiæ, ad totius corporis fuerunt cognationem & similitudinem compositæ: adeo, ut quilibet civis præstantissimæ civitatis se civem facile demonstraret. Et sanè, qui terrenorū omnium commodorū in homine constituit dominatum, supremus ille Deus, sibi que cum eo totum hunc orbem, quasi civitatem aliquā & urbem, eiusque administrandi & regendi potestatem fecit communem; eadem eidem quoque, quæ in se ipso quidem elucet perfectissima dominij exercendi communicavit principia, liberam voluntatem, & huic tanquam consultricem attributam rationem, sapientiam, justiciam; & id quidem ea lege & conditione; ut quo accederet earum rerum exercitatione ad divinæ mentis similitudinem propius, eo daret excellentissimæ suæ naturæ indicia clariora: Quæ igitur ratione, præclara illa fidei naturæ commissa & concredita, quæ nos, si recte illis uti voluerimus, in viam placatæ, tranquillæ, quietæ, beatæ vitæ deducunt, accersiti ad rempub. administrabimus rectius? qua felicius? qua laudabilius? quàm ad exemplar numinis divini, à quo provenerunt, ad quod referenda. Sed hic me facile condemnet temeritatis inconsideratæ, intempestivus quispiam ingenijque præcocioris rerum æstimator, quasi ego nimis incogitanter perfectionem divinam ad infirmitates accommodem humanas, & in societate hac humana, eam desiderem

3
siderem felicitatem, quæ similitudinem arripiat aliquam beatitudinis divinæ ac cœlestis. Dabit is vero mihi hanc veniam, quicumque etiam fuerit: ut cum nunc ingressus sim demonstrare, quæ sit ad congregationes hominum, quibus ipsa consociamur natura, tuendas, firmandas, stabiliendas, præstantior ratio, ponam ante oculos vestrōs cum aliter quidem quæ quibus præstent judicare nō possimus, id quod est in rerum natura excellentissimum: unde reliqua omnia excellentias suas mutantur: a quo tanquam ē fonte limpidissimo dimanavit, quicquid est in rebus omnibus conditis boni. Quanquam enim, pro dolor, tanta sit nostra infirmitas: nunquā vī stabilem inoffensumque cursum teneamus, sed continuō in omni versemur pravitate, nec mens nostra in hac quidem vita quo consistat tanquam in extremo, perfectū quicquam reperiat: cum sciamus tamen quo nostra omnia benevivendi, recteque faciendi, sint referenda consilia: erigit sese ratio humana, in futurum nixa, ad exemplar majestatis cœlestis, eius ex sua ipsius natura altitudinem suspicit, admiratur, ad eiusque perfectionis quandam assurgit imitationem, summæque reputat felicitatis, cuius quidem dum corporis adhuc custodijs tenemur, participari possimus, si eius vel umbram & simulacrū quoddam assequatur. Et quod immensa divini huiusce numinis vis, quo eius excellentiam ineffabilemque pulchritudinem ex difformibus & dissentientibus facilius comprehendat ratio, in varijs elucet variē, id inter eos ipsos qui utuntur ratione, tanto est admirabilius tantoque magnificentius, ut ea in alio atque alio perspiciatur clarior & manifestior. Etenim æterna illa pulchritudo, quæ ut divinē Plato, nullas recipit vices, purissima illa bonitas, vis infinita cum res omnes existentes in natura ad expressionem aliquam divinæ virtutis suæ disposuerit ac efformarit: posuit ipsē hanc legem quoque, ut pro præstantioribus haberentur eæ, quæ divinæ excellentiæ, quam concepimus animo, imaginem referrent propius expressiusque, quæ obscurius pro humilioribus. Quæ cum ita sint, nec ulli sese naturæ, lux illa majestatis divinæ quàm humanæ communicari efficacius, adeo ut præster homo reliquis omnibus

Aristoteles. lib. 1.
de Cœlo
& mundo

animantibus; ac inter ipsos quoque homines, ex eo quod alij alijs divinæ virtutis firmitus insistant vestigijs, præstantiæ sint gradus, quid est causæ: quin liceat idem dicere de corporibus civilibus, quæ constituunt hominum iisdem inter se legibus devinctæ societates. Hæc nobis non tribuant autoritatem? ut eas beatiores censeamus longeque præstantiores respublicas: quibus contigit, ut vel adumbrare possent divinæ gubernationis speciem & formam, eiusque putarent urgenda vestigia? Multa equidem alia, in hanc sententiã & é Phyllicorum schola proferre possem memorabilia: vel si ad sidera, quæ certis infixæ sedibus cælo inhærent innumerabilia, æthereamque mundi partem incolunt aciem nostram conferamus, quorum principatum sol obtinet, qui sua luce omnem complet mundum, aliaque & illustrat & obscurat astra: vel etiam si in ipsis bestijs naturæ vim introspeciamus, quarum singulæ inter se plurimum reformidant primatum. Pene dixerim, nihil esse in rerum natura, sive animalia omnia spectemus terrestria, sive ea etiam quæ naturalem quasi domum aquam habent, sive quæ cælo fruuntur libero, quibusque natura prospexit effugijs pennarum, sive etiam insectorum genera: sive denique ea consideremus, quæ é terræ cavernis ad usum nostrum eliciuntur, aut ea, quæ á terra, aut radicibus aut stirpibus continentur, quæque ex ea gignuntur vel ad pastum, vel ad oblectationem, vel corporis curandi tuendique causa, vel ad quasvis etiam necessitates alias: nihil inquam reperiemus, quod quidem pluribus, quam uni soli præ reliquis quæ eodem continentur genere, primas concedat partes. Quæ quidem cum oculis cernimus, fateamur oportet, universæ ipsius naturæ acclamatione & suffragatione unius principatum hominis firmari. Sed illud quanti est? quod ipsis corporibus nostris circumferamus quandam benè constitutæ monarchiæ ideam: atque optime constituendæ & informandę rei pub. prima quasi elementa, in nostri ipsius posita sint cognitione, á qua tanquam á capite fluat ac deducatur oportet, omnis & imperandi & obsequendi ratio. Erit itaque boni principis, qui cum patriæ ac rei publicæ lumen animi sui & ingenij ostendere cupiat, considerare,

rare,

rare, quæ sit suorum affectuum, ad voluntatem, cuius ij imperio subiecti, compositio: quos si reperiet totius corporis constitutioni, suæque dignitati contrarios, habebit qua eos coerceat ac moderetur, ad quam eos dirigat, tanquam legem rationem. Et hoc consilium suum ad rerum gubernacula adhibiturus, si animo secum reputet, eamque quam mentis sui lumine intuitus est æquitatem, ad pub. utilitates referat; eo, quæ civitatis rectorem, cuius ille caput cuius anima, qua movetur, qua vivit, qua viger, dixeris alacriorem? quem feliciorem? quæ laudabiliorem? Etenim quod non succedat ei ad animum, erit sanè in repub. nihil. Simplicissima enim & ad æquitatem & rationem directæ voluntate imperat. Nihil quod præter consilium eveniat, quodve toti corpori, quicquā mali importare videatur: quia omnium civium æquæ ac singulorum sui corporis membrorum habet cognitam affectionem & perspectam. Magna prò Deum immortalem eiusmodi principis laus, & tanta quidem, quantam is ipse, per quem iuravi summus Deus, nulli alij, nisi eodem se modo ac ratione in tanta potestate exhibuerit, est concessurus? Aut igitur ad tutandam & salvandam rempub. unius principis præstabit ratio & consilium: aut ea quæ diximus, demonstrari in Aristocratico aut populari etiam statu perfectiora est confitendum. Quod quidem ut credam, à quoquam obtineri posse, cum & natura reclamitet & ratio, adduci vix possum. Est enim non modo humanæ naturæ contrarium, verum etiam & animis & auribus hominum absurdum, ut unius corporis duo aut plura constituentur capita, quibus regatur, aut quibus moveatur plures animæ. At multa Aristocratici corporis capita, plurima Democratici. Nec minus eventis & rei ipsius veritate istud comprobatur, quam vetustate contritum proverbium: Quod capita, tot sensus. Eam ne ergò præstabunt nobis voluntatem, quæ summum in corpore humano obtinet imperium, aut populares aut optimates, quam requirimus ad firmanda decreta, ad persequenda cum autoritate consilia, firmam, stabilem, immutabilem, sibi que semper consentaneam. Iam vero, quod secundo erat loco positum, principium quidem motus corpori

porei

pro Caelio

potest omnis, est anima: quæ in societatis civilis corporibus existimatur magistratus. Ea autem corporea quo persistat firmiter seseque tueatur, motum quandam teneant æquabilem ac certum oportet: quo qui uti poterunt & frui; si à diversissimis principijs moventibus, necessario contrario prorsus agitur motu? Id vero quod contrarietati semper est obnoxium: contrariorumque impetum habet expositum violentiæ, memoriæ & diuturnitati credamus consecratum? Equidem, si Cic. credimus, narrant nobis & nuntiant vel monstrum detestabile, cupiditates & studia, conflata contraria, diversa, pugnantia. Sed exeamus ex schola, veniamus in forum, videamus ea, quæ efficiant rempub. beatam, quibusque civitatis nitatur salus. Quæ quidem in principe, quam in alio quovis magistratu ubi demonstraverimus præstantiora, aut certe ut esse possint, ratione & argumentis docuerimus; quid erit, quod restare videatur, cur nostram à Monarchiæ laude cohibeamus assensionem? tanquam verendum sit, ne nimis temerè, rei non satis cognitæ astipulari & acclamare videamur. Atque requirimus in primis in omni civitatis rectore, ad res feliciter administrandas, Iustitiam & Fortitudinem: quarum utraque cum altissimum in repub. & maxime excellentem teneat locum, videamus, majori cum dignitate earum tueatur patrocinia Monarcha, an in alio quovis reipub. statu aut optimates aut populares? Ac primum quidem, hic non commemorabo, quamquam id maximo nobis ad regiam laudem argumento esse possit, quod principio, omnia jura humana & leges à regibus fuerint constitutæ, aut certè ab uno aliquo principe aut viro in qualibet repub. excellenti ingenio. Non dicam, quod consequens est, alia ratione, in hominum congregationibus, vix leges potuisse consistere. Quippe, cum nihil sit de quo minus dubitari possit, ac perspiciliceat ex eo, quod ex plurimum cupiditati minimè inservire, sed simplicissima & perfectissima ratione niti debeant. Contemplemur solum, cum primum quidem sit imperatoris officium, Iustitiam in animis hominum defigere, & æquitatem illi ante oculos ponere, quanti sit ad præclari huiusce muneris subeundam

dam

dam functionem, in regia dignitate praesidij. Equidem cum
 mutua ista in mortalium animis benevolentia, quae satis erat
 ad quietum & pacatum convictum, in quo omnis civitatis sa-
 lus potissimum posita, cupiditarum onere jaceat oppressa, eius-
 que refrigerato ardore, minime ea proripiat sese, ac foris re-
 spectet in alios, sed intro se recipiat ad se ipsam, adeo ut per
 caliginem qua mentis nostrae lumen perpetuo offusum, vix
 eius scintillulae quaedam appareant ac perspiciantur; nec ex
 tamen tantarum sint virium, ut ijs tueri se possent & munire
 hominum caerus: necessarium omnino fuit, ut eos vis quaedam
 & potestas confirmaret major. Atque ideo iustitiae vicariam
 implorant fidem & operam, quae a libidinum eos, & cupi-
 ditarum impetu vindicaret, avidas manus comprimeret, &
 viam doceret ad quietem & tranquillitatem. Cuius quidem
 fundamentum erit, ut civium arctissime inter se voluntates
 constringantur, eorumque sic moderentur affectus: ut ij, nec
 possint facile ad seditionis adhærescere materiam, nec etiam
 velint. Tum videndum etiam, quomodo eosdem erga ma-
 gistratum & ipsas leges compositos esse conveniat. Postre-
 mo, his ita constitutis, ea quae ex ijsdem affectibus nascuntur
 actiones, qua ratione ad communis boni conservationem &
 autionem dirigi possint magistratus solertia & officio, consi-
 derandum. Primum igitur quod attinet, summæ æquabilita-
 tis, pro singulorum conditione, in munerum, honorum, &
 onerum distinctione servanda est ratio. Ita quidem, ne invi-
 deant inferiores, propter dignitatis præstantiam, digniori-
 bus, nec necessitate despiciant inferiorum digniores. Aut,
 illi ne factiosi existant, ut fiant æquales dignioribus; hi ut æ-
 qualibus maiores. Eam vero proportionem & æqualitatem
 in Aristocratia & Democratia quis credat consistere posse!
 Quippe, cum Aristoteles acutissimus Philosophorum gene-
 ris nobilitatem, & divitias, principia dicat & fontes malorum;
 & vero, autore Cicerone, in eo vel maxime vitiosus sit popu-
 lus, ut largitione interposita, virtutis & dignitatis oblivisci
 soleat. Ut de M. Mario, Cn. itemque Pompeio accepimus,
 quod illi ad coemenda plebis lucro inhiantis, suffragia, argen-
 ti plenos

De pet.
Cor. ul.

Plut. in
Mario.

B

ti plenos

Cic. pro
Cluentio
In Verré.

Stob. ser.
de Fin.
2. de Finib.

a. Off.

2. de legi.

Lib. 3.

ti. plenos modios in Comitium diribitores ferre curaverint. Atque Athenis Sratocles ac Damocrides ineunte magistratu, ad auream messem se proficisci publice jactabant. Et absque hoc quanquam esset, ac penes optimates ipsos honores & magistratus deferendi cuilibet pro libitu, ac abrogandi esset potestas: eo tamen cum humanis consilijs perventum sit; ut quisque semel adeptam dignitatem, diligentissime exactissimeque studeat tueri, cōservare, augere, eamque in familiam derivare: quis hic sponsor reipublicæ futurus esset, optimum quemque sui similem potius in imperij societatem cooptaturum, quam filium, quam fratrem, quam propinquum, quam amicum? Quid autem? quis non videt? plurimum inter hos quoque avaritiam domitari & ambitionem: quæ duo malorum elementa Timon, cui cognomen Misanthropos, vocare solebat. An igitur virtuti aliquem locum relictum arbitramur? Sunt equidem, Cicero inquit, cupiditates insatiabiles, quæ nō modo singulos homines, sed universas familias everunt, totam etiam labefactant rempub. Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bella, nascuntur. Etenim, maxime adducuntur plerique, ut eos justitiæ capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, gloriæve cupiditatem inciderint. Ac ne longe abeā, cum quidem omnia plena sint exemplorū, quæ vulnera Reipub. Romanæ imposuerunt Tribuni? cum incitarent plebem contra senatum: quæ Appij Decemviri tyrannis? quæ M. Crassi, C. Cæsaris, Cn. Pompei triumviratus? Quoties Atheniensium Aristocratia immutata? quantis tempestatum fluctibus & procellis agitata? quem eam in statum 30 illi adduxerunt tyranni? Platonis istud nonne comprobaverunt verissimum: eam nimirum civitatem, in qua cives ad expetendos magistratus minime ambiciosi sint, optime & procul a seditionibus permanfuram: eam perituram vero quæ aliter affectos habeat cives. In quam sententiam & Aristoteles, quia de honoribus non quilibet, sed potentissimi quique contendunt, plurimas seditiones in civitatibus ambitionis culpa oriri dixit. Nec aliam, gravissimorum per totam Græciam motuum fuisse causam, tradit Thucydides, quam quod

quod principes civitatum studiosi admodum fuerint ambitionis & augendarum opum. Pœnas enim, non ex modo iustitiæ, sed utilitate metiebantur: nec Deorum religionem ullius momenti faciebant in contrahendo. Horum vero quid metuendum in unius principis aut regis imperio? cuius limitibus omnis honorum contentioni interclusus aditus, ab iisque magna autoritate omnis arcetur invidia, æmulatio, avaritia, ambitio. Quid enim ad honores & magistratus adipiscendos pecunia? quid propinquitas? cum ij unius principis arbitrio & beneficio tribuantur? Quid vero efficiet invidus? quid avarus? quid ambitio? cuius cupiditatum cæco impetu regia resistit majestas religione & virtute communita. Ut plausus acuant equum certantem de celeritare, sic tua me pro unius principatus pugnantem dignitate, Illustriss. princeps Elector, singularis virtus, qua mihi nunc in præsentia priscae majorum tuorum majestatis perfectam effigiem repræsentare videris, vehementer accendit. Etenim ne multum de antiquitatis laborem autoritate, satis nobis ad id ipsum, de quo nunc omnis instituta oratio testimonij sit, Palatina sinceritas, vobisque omnibus satis probata prudentia. Fingite enim vobis fingite auditores, quod si in hac ipsa civitate, aut toto Palatinatu, honores & munera publica civium distribuerentur suffragiis, nec eorum essent sententiæ moderanda illustriissimi princip. nostri & serenissimi Electoris arbitrio, quem quidem in statum rempub. perventuram existimetis? An quemquam tanta religione, tantaque in communem patriam fide censemus? ut eum virtuosum potius, quam propinquum, aut pecuniosum speremus nominaturum. At injuriosus ego multis! Sit, utrum tamen bonorum an maiorum potentiorum futuram suffragationem adhuc dubitem. Quâquam enim nemo facile concessurus, fidem suam vel vi sanguinis vel pecuniæ violari posse aut impugnari: tamen cupiditate inani occæcati plurimi, haud eo adduci poterunt, ut propinquum suum aut amicum, publicis muneribus

Judicent indignum. Adeo ut infidelitatis crimen maximè effugiant; imprudentia tamen, & cæco in suos & se ipsos amore hæreant. Quanto vero hæc omnia ad unius prudentis principis arbitrium cadunt feliciora! Atque hæc de civium inter se ipsos moderandis affectibus: hunc quomodo iidem, ad justitiæ amorem, & erga magistratum ac ipsas leges reverentiam incitari possint consideremus. Etenim eum demum justitiæ perfectæ perfectò functum munere dixerimus, qui non modo in legum, juris, judiciorum administratione exhibuerit sese integrum & incorruptum, sed alacrem quoq; & indefessum in informandis animis & excolendis ad justitiæ præclaros ferendos fructus. Ac ut videmus agricolas, ad rem familiarem attentos, post hiemem aggerare optimam terram, qua circumfundunt & quasi circummuniunt arbores, ne calore nimio radices exarescant: ita ij quoque quibus reipub. commissa cultura, amplissimum quidem sui laboris colligent fructum, si optimis institutis, suo ipsius exemplo, & bonis moribus, sic temperaverint in civium animis cupiditatum ardorem, ut is ad alendam augendamque communis felicitatis justitiæ radicem, sit accommodatissimus. Et hinc summi sapientissimique Philosophi, cum viderent, magnam esse religionis vim ad continendos in officio mortales, eaque vel ipsis mœnibus firmitus muniri civitatem; dum statum informarent reipub. ad cœlestium divinarumq; rerum contemplationem mentis humanæ aciem advocarunt & converterunt, quæque essent in futura illa perenni beatitate justitiæ cultoribus proposita præmia ostenderunt: sicuti haud difficulter etiam perquam plurimos reges & principes proferre possem, quorum nec adeo longe petenda essent nomina, nisi temporis habenda ratio, qui se acerrimos religionis præbuerunt defensores & propugnatores: eaque ut subditorum animos imbuerent, maximopere laborarunt. Cum igitur cuilibet magistratum gerenti incumbat vel maximè: non ut quibus afficiat pænis immorigeros prospiciat; sed quibus tandem rebus efficere possit, ne quid cives pæna dignum velint patrare: quanto maiori dignitate, quanto feliciori successu, id princeps præstabit optimus:

Plato.
Cicero.

mus:

mus: quam ij apud quos plerumque vel superstitionibus pené anilibus, omnia religionum jura polluta, vel indulgentia nimia prostrata afflictaque jacent? Et ad id ipsum si recta morum informatio aliquid possit, ut potest plurimum: (prudenter enim poeta. Quid leges sine moribus vanæ proficiunt?) Horat. princeps quidem civitati suæ sese proponet absolutissimum ad imitandum, recte vivendi exemplar: quam vero morum conformitatem existimemus, in summa regnantium ingeniorum diversitate? Quot certè in magistratu ingenia: tot in populo factiones, fieri enim non potest, sicuti ad senatum Romanum Theodoricus Gothorum rex, ut alij sint civium mores, quam ipsius à quo reguntur magistratus. Cassiodor. Video jam, auditores: hæc erit egregia illa æqualitas, & communio, sine qua ne amicitiam quidem, quod maximum est bonum civitatis, communem dicunt. Aristoteles. i. Poli. Quid si longe sint ætiora, & firmiora in unius principatu, inter subditos & magistratum, amicitiae vincula? Quippe optimi reges, cum subditis tanta consensionis fide & amicitia coniunguntur, ut suam ipsius salutem cum civium suorum salute implicatam credant, eique astrictam & coherere; adeo, ut hæc ruere non possit, ut illa non eodem labefactata motu concidat. Et præterquam quod ipsa virtus, cuius est proprium ut animos sibi conciliet, pulchritudine sua quemque in amorem sui rapiat, fuerunt & alij præclari quidam reges & imperatores; qui liberalitate, beneficentia & benignitate, suorum sibi conciliarunt animos. 2. Off. Quæ quidem principis in populum munificentia & largitiones, ut conciliatrices sunt & faultrices tranquillitatis publicæ; ita eiusdem acerrimæ in optimatum & populari statu sunt impugnatrices: quod nemini certe poterit esse obscurum, si vel mediocriter in Romana & Græca fuerit versatus historia: quæ repleta est exemplis eorum, qui largitionibus non secus ac telis, ad evertendas respublicas usi fuere. Restat nunc, ut quæ sint ipsius magistratus partes, in regedis pro communi salute consilij, & subditorum actionibus exponamus: quo de universo iustitiæ officio sit dictum. Ac imprimis, ne careant successibus consilia, ut stent firma & immota decreta, audaces reprimantur,

In Pan. ad
Trai.

mantur, infirmi & miseri subleventur, nec aut gratiâ jura inflecti possint & iudicia, aut perfringi potentia, aut adulterari pecunia: magnam in magistratu constantiam, magnam gravitatem, magnam imperij desideramus majestatem. Cuius quidem decus & splendorem vtrum admittat aut sustinere possit imperij inter optimates & populares consortium necne, vos certe, auditores, judicabitis facillime, si ea quæ hæcenus à me dicta, revocaveritis ad rationem. Et verissime Plinius, ac prudenter admodum: Nihil est tam primum ad simultates, quam æmulatio, quæ maxime nascitur ex conjunctione, alitur æqualitate, ardescit invidia, cuius finis est odium. Sicut & videre licet, totam imperandi Aristocraticam & Democraticam rationem, vel iudicio & arbitrio commissam fortunæ, quod suffragia plerumque numerentur non ponderentur, quam nemo unquam ab inconstantia & temeritate seiungit: vel inanis & inconsideratæ multitudinis, quæ omnem exuperantiam odisse consuevit virtutis, omniaque ex opinione, nihil ex veritate æstimare. Sed illa quanta constantia! quanta imperij maiestas! quam principio hominum inter se coalitæ congregationes in regiam conferebant dignitatem: quam sapientissima testatur antiquitas, quæ præclaros quosdam reges & imperatores in divinorum consecravimus numerum: quam denique ipse nobis præsens & præpotens Deus confirmavit, cum in Deitatis, adeoque divinæ dignitatis nomen eosdem adoptavit. Quanto ea vero ante omnium oculos eminet splendore; ad verum decus, per regiam omnium præstantissimarum virtutum viam, perducta! quarum etiam si destituta fuerit præsidio, mancanti eam & nullam omnino existimamus: nec cultu, honore & reverentia dignam. Atque ita Sardanapalum, Tarquinium, Pisistratum apud Athenienses, Hyppiam, Ptolemæum quoque Philopatrem, & alios, de amplissimo majestatis gradu propria turpitudine turpissime deiecit: ad eiusdem, e contrario vero, summam & supremam sedem eiecit perquam plurimos, rerum præclare gestarum & vitæ integritatis æstimatio, summa virtute comparata gloria, magnificentissimaque existimatio. Quantam enim

enim

enim Alexandri istius Magni auctoritatem, quantum admirationem in omnium mortalium concitavit animis, memorabilis illa & gloriosa virtus! Nonne ex ea quod quidem verissime in eum accidit, Magni cognomen induit. Quid vero de Philippo patre, quid de Scipione Africano, quid de Annibale loquar? Quid de Iulio Cesare? Quid de Augusto? qui eum profecto se in tanta potestate prebuit, ut nulla alia, a quoquam desiderata fuerit potestas: ei; viventi ara & templa sunt posita. Quantum Themistocli, quantum Salomoni, ne sacras etiam prætereamus historias, profuit ad summam maiestatem & auctoritatem summa qua excelebant sapientia? quæ & virtute afflatur divina, & quasi emanat ex claritate & maiestate Dei. Per illam factum recte, ut ille magni fieret apud Persas: hic apud vicinas gentes omnes & remotas nationes. Quid pietas? Quid probitas? Quid ij, qui ex probitate & pietate felices successus? Iosaphati tantam fuisse auctoritatem accepimus, ut & subditi ei & externi reges dona offerrent. De eoque sacris monumentis sic proditum legimus: Irruit pavor Domini, super universa regna terrarum, cum audissent, quod pugnaret Dominus contra inimicos Israel. Sicuti de Asa quoque scribitur: plures ad eam confugerant ex Israel, videntes, quod Dominus Deus illius, esset cum eo. Hoc igitur præclarum Dei donum, auctoritatem suam & maiestatem, diligentissime sibi recommendatam habeat princeps: ac ea cum sola sit, qua domari & coerceri possit effrenata hominum voluntas & libido, qua comprehendantur societates humanæ, qua civitates regantur, qua regna florent, omnibus enitatur viribus, quo tueatur eam cum laude, augeat virtute, iustitia, fortitudine, nec eam confringi aut labe aliqua aspergi patiatur. Sed hoc loci adversa nobis Platonis auctoritas, gravis imprimis Philosophi: qui in uno tot ac tam multas virtutes, quot & quantæ principi optimo necessariæ sunt, vix unquam reperiri dixit. Quod quidem, si qui sunt qui nobis obijciant, ab ijs scire sane velim, quid ei respondeam, qui me sic roget: si tam difficile est, vel unicum reperire principem imperio dignum, sunt ne optimates in Aristocratico statu, aut populares omnes

2. Par. 20.

2. Paral. 5.

omnes in Democratico, digni qui tractent imperia? Facile certe non crediderim, plures cōiunctim facilius, quàm unum solùm, bonum reperiri posse civitatis rectorem. Aut fortassis quod longius prospiciant plures, quam unus solus, ea quæ in consultationem de repub. veniūt, felicius patrum quam vnus principis expediri poterunt consilio. Quid est? illi quod videant, quod non æquè prospiciat princeps adhibitis in consilium viris excellenti perfectaque sapientia? quorum ubi sententias collegerit, easdemque ad æquitatis & rationis normam diligenter examinaverit; facilius ad commune bonum omnia dirigere poterit & gubernare. Est enim hoc prudentis civitatis rectoris, omnia primùm diligenter exquirere; sententias colligere, tum iudicium suum interponere, nihilque afferre præiudicati. Quod quidem, qua ratione inter eos fieri poterit? qui in æquali & pari sunt potestate constituti? Etenim, ut quisque eorum, haud facile de sententiâ sua discesserit, ratus nihil quicquam de iure suo cedendum: vel quia ab alio moneri aut reprehendi credat ignominiam; vel contradici sibi injuriæ loco deputer: ita ferocissimum se cuique admonitioni præbet, & opponit audacter: unde odia dissensiones & homicidia. Ut verissime à poeta dictum:

Lucan li. i.

*Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit, nec gentibus ullis
Credite nec longe fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.*

Cum vero eventis plerumque ponderemus consilia: ut eum optime consuluisse iudicemus, multumque prævidisse cui bene quid processerit, atque omnis & populo & oprimitibus abjudicata jam imperij maiestas: quid sine omni successu consilia? Et sanè, oculis quodammodo contueri possumus, quid Reipub. Romanæ consilijs suis profuerint Tribuni? quid Decemviri? quid consulum coequata potestas? Quid Articæ civitati, factiosi illi & inquieti oratores? Perpetuorum in Græcia motuum & bellorum civilium faces fuerunt. Nec non, quam præclare inter optimates, res gestæ fuerint Regia rejecta

reiecta maiestate, exemplum nobis suppeditat, majorum nostrorum memoriâ clarum, Polonia, patriæ vicina regio. Exterminabatur regno Boleslaus Secundus, rex Polonorum, anno millesimo octuagesimo secundo: atque Episcopi, sui Pontificis & Germaniæ Episcoporum exemplo commoti, summam sibi in regno vendicabant auctoritatem: adeo ut per annos 200 continuos, regio nomine spoliata esset Polonia; luctuosa res! Externorum eodem tempore hostium qui regnum, ad motis exercitibus adorirentur vim & iniuriam & internas etiam ex principum dissidijs ruinas & clades experiebatur: quid hoc tristius? Gravissimis enim inter optimates exercitatus dissensionibus, atque confracta & prostrata omni auctoritate ut nemo aut exterorum hostium impetum posset avertere; aut intestinarum conjurationum nefaria tela reprimere: aut funestas exortarum seditionum faces restinguere; confluxerunt tanquam ad communem prædam, & Molchi & Scythæ; qui omnes depopulabantur provincias, vastabant civitates, miserissimeque distrahebant totum regnum & dilacerabant. Docuit Polonos tandem eventus: quàm infelix esset Monarchiæ contemptus. Desperata enim omni salute, longo intervallo post, anno 1295 nobilitas majoris Poloniæ consilium inijt, denuo creandi regis; qui in pristinam illos vindicaret libertatem cuiusque consilio, auctoritate & auxilio, in antiquum statum regnum restitueretur. Tandem vero, quanti cæ æstimandæ civitates? quo ij loco habendi? qui non reipubl. sed suo ipsius commodo metiuntur consilia; qui utilitate omnia dirigunt, virtute nihil: quorum odia & invidiam bonus quisque & optime monens ac consultans haud poterit vitare aut effugere: Ut Pericles omnium Atheniensium civium odia bene consulendo in se derivârat. Nonne satius esset inter ipsas feras & bestias ætatem degere: quàm inter eos versari, qui assensionis & voluntatis aura, alunt in civitate vitia, scelera, flagitia, impunitate proposita & licentia: qui iustos, sapientes, & probos pellunt, fortunis omnibus evertunt, exulare jubent. Ut Troia armata manu raptum Helenæ propugnabat, ut sibi ipsi nefariam pestem, qua fundi-

Thucyd.
lib. i.

C

tus

tus deleri fuere, machinabantur Corinthii: dum impunitos dimitterent sceleratos illos & nebulones à quibus Romanorum legati maxima affecti ignominia, ac lotio fuerant perfusi. Ut propriâ Romanorum culpâ excitata flamma, & incendium absumsit Romam: dum ij Arunti Hetrusci uxoris raptum non punirent: sed iudicium sententijs pecunia corruptis, raptorem absolverent ac liberum pronunciarent. Ut, sicuti tradit Plato, Megareses, postquam Theaginem principem imperio spoliavissent, tanta licentia vixerunt: ut locupletissimos quosque diripere liceret. Et sanè, grave istud Ciceronis contra ipsam Rempub. Romanam testimonium: Lapidationes in foro sæpe vidimus: non sæpe, sed tamen minus sæpe gladios. Idem, meministis, inquit; corporibus civium Tiberim compleri: cloacas refarciri: è foro spongijs effundi sanguinem. Age verò quam virtutis sue remuneratione reportabat Athenis Themistocles? quam Solon? quâ Demosthenes: quam Epaminundas & Pelopidas à Thebanis. Quid erit vero, regiam quod quidem perturbare possit gravitatē & constantiam? an violentum aliquid aut importunum? Quid posset accidere tale ei, qui tanta est confirmatus auctoritate & maiestate? An igitur improvisam aliquid atque repentinū? quid est, quod tantū cōsiliij & rationis fugere possit acumen? Progrediemur nunc ad alterum optimi gubernatoris officium, quod circa fortitudinem occupari diximus, cuius quidem vim & præclara munera quin demonstrem in Monarchia præstantiora, & clariora quid sane negotij? Et enim si tenemus ea, quæ mihi quidem non videntur posse convelli, quod maiori gravitate, maiori constantia, maiori maiestate, perficiantur res quæque ab uno rege in Monarchia, quam à pluribus in repub. unum magistratum constituentibus principibus: dādum omnino & illud erit, à quo hæc ipsa promanant & proveniunt. Cum itaque Imperatoriam Maiestatem, ut inquit Imperator, non solum legibus oporteat esse armatam, sed & armis decoratam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis recte possit gubernari: atque necessarium omnino sit ut, autore Aristotele, existant in civitate armigeri,

armigeri, si inimicis non debeat servire, qua ratione admini-
 strentur in civitate arma; quorum praesidem fortitudinem,
 rationis quasi quibusdam praeceptis instructam constituimus,
 perpendamus. Neque sanè, cum quidem ea tota oratio mea,
 qua docui fontem esse & originem malorum intestinorum
 & seditionum, imperij atque potestatis interplures socie-
 tatem, fidem sibi sensibus & eventis confirmet, longe peren-
 da & quaerenda argumentatio, quin appareat etiam, vobis-
 que omnibus manifestum fiat: ipsa arma, sine quibus tamen
 civitas constare non potest toti reipub. periculum in Ari-
 stocratico statu minitari atque denunciare. Quid enim
 solidius, quam temeritatem concitatae multitudinis auto-
 ritate publica armare? quid vero periculosius, quid pervers-
 us, quam flammæ in communem perniciem accensæ in-
 fundere oleum, furibundo gladium obijcere? Unde exor Thucyd. l.
 ta inter Corcyrenses seditio tantum absuit, ut sedari po-
 tuerit alicuius autoritate, aut exaturata civium sanguine de-
 flagrare, ut etiam universa Graecia maximo eius incendio
 faecit inflammata. Tunc enim faces & saxa volabant & (ut
 scite admodum Virgilius) furor arma ministrabat. Om-
 nium civitatum agitabatur status: nemo non versabatur in
 insidijs. Atque in ipsa armorum administratione, ubi aut inju-
 ria vindicandæ bello, aut obsidione liberandæ civitates, ci-
 viumque libertatis suscipiendum patrociniū, aut muri de-
 fendendi armis aut praesidijs cingendi, aut in expeditionem
 exercitus ducendi, aut denique ordinanda & movenda loco
 acies: aut tantam patrum existimeinus autoritatem, ut ea
 indomitam & armorum avidam facile possint coercere
 multitudinem? Equidem si vim adhibendam putent,
 non deerunt certe, sui ipsius ordinis etiam, multitudi-
 nis studiosissimi, qui se ipsos belli duces projiciant, in pe-
 ria & munera militaria in plebem distribuunt, quo eius
 conciliariis studijs, & voluntibus, pro libitu, quæque
 agere possint & tentare. Sin verò alios quam quos vul-
 gus nominavit, belli gerendi administratores confirman-
 dos existiment: tamen, quodnam futurum sine obsequio
 imperium,

Lib. 3.
Lib. 69.

Polyb. lib.
10.

Polyb. li. 1.

imperium, respectent oportet. Et plurimi fuerint etiam ex plebe, qui magistratus sequantur partes: tamen in ipsa urbe jam factiones nec suo qualibet destitutæ patrocínio. Erit itaque vel multitudinis cedendum furori, vel interni & civiles subeundi morus. Aut certe imperabunt imperiti: aut militabunt immorigeri. Quid vero non mali machinarentur, ex invidia & æmulatione cui plerumque comes temeritas, perpetuæ inter plures belli duces & imperatores dissensiones? Ex dissensione Varronis & Aemilij consulum, cladem Cannensem Romanis contigisse, testatur Polyb. imo omnia ferè prælia cum Annibale. Atque Hermocrates Syraculanus, sicuti est apud Thucyd. civibus suis devictis, causam omnem rejicit in multitudinem ducum. Nam si pauci forent Imperatores, inquit, credibile esset, eos adversarijs superiores fore. Eos autem summa præditos potestate deligi oportet: quibus iusiurandum præstent reliqui, se permissuros esse eos pro sua peritia imperare. Sic enim quæ cælari oportet magis celabuntur. Quod quidem sapientissimum sapientissimi viri consiliū, quo loco sapius ab egregijs istis fortitudinis patronis habitum fuerit, ut cognoscamus, non sane est, cur antiquorum populorum erua-
mus annales: equidem nominare possem civitates & respub. quarum in præclaros Imperatores ingratitude, & administrandarum rerum perversam rationem, hæc ipsa secula nostra nobilitarunt. Quis vero dicat, in Aristocratia belli imperium uni soli tutò ac sine periculo committi posse? Pauci sane fuerint Scipiones, qui cū feliciter res gessisset in Iberia, capta nova Carthagine, & rex appellaretur ab incolis omnibus, adeo fuit magnanimus, ut illam subditorum voluntatem detrectarit. Ac ut omittam Iulium Cæsarem Pisistratum & alios, Hieron Syracusanus, quanta in regno acquirendo fuit versutia! Affinitatem contraxit cum Leptine multitudini accepto homine, ut quoties egrederetur ipse urbe cum exercitu, haberet nihilominus in ea Leptinem suis partibus faventem. Unde postea eductis civibus contra Barbaros, ijsque devictis, Syracusas cum copijs reversus, consentiente omnium civium favore, Regio nomine & honore excipiebatur. Accedit ad hæc,

hæc,

hæc, quod ut plerumque rebus secundis, tumore animi inflatus populus insolenter sese soleat efferre, sic adversa fortuna statim succumbere, fluere, liquefcere: adeo ut plerique quo sese fortunæ tormentis liberent, studiosissime & anxie admodum in eos inquirant, quos sibi in conjurationis adjungant societatem, diligentissimeque regnantium omnium motus & auram aucupentur, ut simulatque ex ijs autorem nacti fuerint, prodicionem aut defensionem moliantur. Atque cum id ipsum ex historicorum monumentis per quam plurimis comprobari possit testimonijs, tum profecto nullum clarius erit aut firmitus, quam id quod Eretrij apud Herodotum nobis perhibent. Hi enim cum Persarum copijs circumfusi fuissent & obsidione cincti, ijsq; auxilia adjunxissent Athenienses; & vero vacillare Eretrios ancipiti sententia, alijs urbis defensionem, alijs prodicionem molientibus, Atheniensium dux Aeschines Notonis filius animadvertisset, statum illum suis civibus exposuit, oravitque ut domum abirent, ne una cum illis occumberent. Optemperarunt illi, Eretria capta est prodicione. Quanti igitur faciendæ præstantissimorum imperatorum præclaræ virtutes! qui, ut præcepit Agesilaus interrogatus de imperatoris officio, adversus hostes audaciam, erga subditos benevolentiam, in oportunitate verò rationem & consilium adhibuerunt. Etenim summa ij confirmati potestate, omnes omnium sceleratorum conatus autoritate sua frangere potuerunt, & retardare: providere ratione & consilio, solertia & vigilantia inhibere: ac fortitudinis præceptis & legibus sic paruerunt, ut hostium semper impetus fortissime exciperent: nec unquam benè gerendæ occasiones negligenter: perpetuoq; essent instructi & muniti, non modo ad dolorum stimulos, & fulmina etiam fortunæ contemnenda: sed ad excitandos quoque & erigendos militantium animos. Nec certe video, quid possit ad Monarchiæ extenuandas laudes, si eorum nobis obijciatur oratio; qui Imperatoriam majestatem in bello quidem administrando plurimum valere dicunt: at ijs rebus quæ non prodeant in aciem Aristocratiam præstare. Etenim hic ego non mirer; esse quemquam qui existimet,

Lib. 6.

Stob. sect.
52.

C 3

quod

hæc hodie.

quod nescio an negari possit, præstantius quiddam esse, rem-
pub. profligatam & prope everfam erigere rursus, quã bene
cõstitutam salvã & incolumem conservare: nec tamen persua-
dere sibi possit, cū in eo Regiæ dignitati concedat primas, in
hoc non esse adimendas. Quid tandem igitur erit, ad hæc
quod dici possit? Non enim quæro, quid ij sint dictari, qui li-
bertate proposita, siue licentia potius, non rei veritate sed
suo ipsius commodo Aristocratix & Democratix laudes
æstimant. Quid enim dicunt, nisi quod sit jucundissimum,
nullis necessitatis vinculis impediti, quo minus ut liber, liceat
vivere. Quid? si nihil sit æque perniciosum civitati, ut licet
colligere ex superiori oratione mea, atque effrenata illa & im-
moderata libertas: quippe quæ in servitutem adjudicet ipsam
virtutem. Et quid imperia? quid magistratus autoritas? si li-
bere, si sine metu, si sine potestate, si sine severitate, viven-
dum? At, ab ijs quid affertur? qui se rerum pub. informatores
nominari volunt, & actionum civilium moderatores. Grave
argumentum illis contra Monarchiam videtur: quod plurimi
fuerint: quos non ad justitiam, sed ad crudelitatem acuerint
& immanitatem ipsa majestatis jura. Ut Dionysium Syracu-
sanum, qui omnia per vim, omnia per violentiam, sibi licere
arbitratur: Ut L. Syllam dictatorem, qui cum de eo Vale-
rius Flaccus intertex legem tulisset, ut quicquid dictatori li-
beret id esset ratum, crudelissime eam legem vindicavit. Ut
plurimos etiam ex imperatoribus Romanis, qui carnificinam
potius quam imperium exercuerunt: & qui difficile ad mo-
dum male patrum tuerentur imperium: semel irritatis ad in-
humanitatem animis, & crudelitate sanguinis delibutis, tan-
ta omnia færocitate tanta tyrannide gesserunt: nihil ut reser-
varent sibi, quod gravius aut crudelius facere possent. Non
illi dicunt, quod erat officium boni principis, & majestatis
regiæ maximam argumentum, religione venerabantur Deum,
sed sacra omnia profanabant: non pietate complectebantur
patriam: sed immanitate lacerabant & distrabant: non cari-
tate propinquitatem colebant: sed fastidiosè prosternebant:
non benignitate provehebant egentes: sed ad eum usque

ad mutilabant: nō leges religioſe admiſtrabant: ſed ad libidinē
 ijs & quæſtū abutebantur: nō æquitate univerſos tuebātur, ſed
 ſumma opprimebant iniquitate: non deniq; juſtitiā incorru-
 ptā præſtabant ſingulis: ſed perſequēdi juris ſui imo deplorādę
 calamitatis adimebant poteſtatem. Neſariē illi quidē, & ſcele-
 ratē: ſed hoc quid ad Monarchiæ deſpectū? Etenim nō per re-
 giā dignitatē, quā ſe indigniſſimos omniū aſpectui propoſue-
 runt: ſed per tyrannidē & vim omnia egerūt. Et, ſi inſtituenda
 cōparatio, corū ſcelera & flagitia cur detrimēto fuerint excel-
 lentiffimę virtuti, clariffimorū regum & principū, quorū præ-
 clarā a me fieri audiviſtis mentionē: qui, cū minime ſibi quoq;
 negligendam famam arbitrarētur, nec mediocrem telum ad res
 gerendas civium exiſtimarent benevolentiam; hoc ſibi duxe-
 runt ampliſſimum pulcherrimumq;, benignitate & clemen-
 tia ſuorum animos ſibi devincire: nihilque putarunt tam exi-
 tioſum eſſe civitatibus, nihil tam contrarium juri & legibus:
 nihil miſius civile & humanum: quam conſtituta & compoſi-
 ta repub. quicquā agere per vim, aut ad ſummū imperiū acer-
 bitatem adungere naturæ. Quod ſi regia dignitas, adducta
 in invidiam & vituperationem, quod multis malis ſit ob-
 noxia: cur ſit in magno nomine & gloria Ariſtocraticū impe-
 rium, in quo multa etiā ſunt perturbatiora, & intolerabiliora,
 non intelligo. Quis enim tyrannidem non tolerabiliorē dicat
 uniū, quam multorū? cū ea aliquando expleri, hæc nunquam
 ſatiari poſſit. At, immortales ſunt Reſp. in ijsq; adminiſtradarū
 rerū ſtabilis ſemper & fixa ratio: cū perpetuas mutationes ipſa
 mors principis in Monarchia denūciare videatur. Quā paucis
 verbis negotiū cōfectū putāt: ea ſumūt ad concludēdū, quorū
 illis nihil cōceditur. Etenim, ſi historicorū pugnādū testi-
 monijs: plures equidē fuiſſe, quæ ad immēſū penē tēpus viquerūt
 Monarchias, facile obtinuerim: Imperij autem cōſtantiā, tum
 illis conceſſerimus, cum conſtantiā & firmam imperantium
 cognoverimus voluntatē. Quod vero varijs expoſitam muta-
 tionibus Monarchiā dicāt: illud quidē optimi principis cōſi-
 lio provideri poterit & præcaveri: cum ei nō minori curæ eſſe
 debeat, ut monet Cicero, qualis reſpub. poſt mortem futura
 ſit, quam qualis eſt hodie. At illi, quī anniverſarias etiam

Cic. 1. de
Leg.

Ad Q. fr.
cap. 14

In Lelio

vicissitudines evitare poterunt, cum quotannis novi creentur magistratus, in aliorum locum subortiti? Ac ut ut aliam illis concedamus laudem: non id tamen reipub. imputandum formæ: sicut nec Monarchiæ Monarcharum imputanda scelera. Ut si ex ijs mali quicquã contraxerit Monarchia: non eam proprio aut interiori morbo, tanquam ex mala constitutione laborare censeamus: sed alieno & extrinsecus accersito: eodem modo, cum vitiosa sit Aristocratici corporis constitutio, eique quo ad tempus floreat, à viris aliquibus præstantibus, tanquam medicis prospectum fuerit, non eius ex se ipso, sed ex adhibita curatione, sanitas æstimanda. Istud vero, quid auctoritatis habet? quod ipsum nomen Aristocratia nobis obijciunt: ut optimorum virorum optimum imperium esse dicant: Quasi non maior sit in regio nomine dignitas: quod regem ad regendum natum declarat. Ac ut quisque judicandus est optimus: non tamen ex eo bonus civitatis rector æstimandus. Nec illi tam rei ipsius veritatem, quam nominis jactant splendorem: & id, quod dicunt optimum non honestate, sed emolumento meriuntur. Quæ quidem cum ita sint, atq; in summo Regia Majestas constituta sit fastigio: vel si consules omnes cum senatoribus existerent Romanis, si Tribuni, si Decemviri, nã eos dignitatis pondere everteret omnes & gravitate. Nec illam tamen etiam, si qui Archontes dicti præsto essent principes, Atheniensium reipub. à Theseo & Dracone præfecti, de dignitatis gradu dimovere possent: aut ij in quos magistratuum jura Solon distribuerat, aut Clistenes, aut Aristides, aut Pericles. Multo magis eam immotam relinquunt oportet, ij qui rerum potiti apud Carthagenenses, Thebanos, Creteneses & alios. Si vero Lacedæmonij se nob. opponunt, bene illos quidem regnasse, & reipub. suam optimis temperavisse institutis dandum erit: mihi tamen ad Monarchiæ tuendam laudem hoc loci satis est, & eos ipsos quoque paruisse regibus, quorum quamprimum abjudicarent auctoritatem, in finitimorum ditionem & potestatem fuerunt redacti. Et magni eos fecisse regium nomen, testis est Demaratus, qui hæc ad Xerxen: Licet sint liberi Lacedæmo-

eademonijs non tamen sunt vsquequaq; liberi: quippe quibus præest domina lex, quam multo magis metuunt, quam tui te.

Spero auditores his quæ dixi, satis ac super me demonstrasse, quod volui. Nullum imperij regimen, principatu vnus esse gloriosius: quippe, quo similitudo quædam Politicæ Cœlestis exprimitur, nullum naturæ conuenientius: vt ad quod ingenuita sibi à natura cupiditate creaturæ aspirant vniuersæ: nullum Reipub. fructuosius: cum ad res iustissimè domi fortissimè foris agendas potestas vnus vel maximè conducat. Quod reliquū est, Tuæ, Princeps & Elector Illust. Celsit. gratias ago, pro illustri illa mihiq; tot signis triennio, quo me civem tenuit hæc academia, declarata erga me beneuolentia, qua etiam adducta hucusque se demisit hodie Celsitudo Tua: ut præsentis suæ luce omnes orationis meæ nebulas dissipare nō sit dedignata: Ego dum aliud non possum, animum hunc offero Celsit. Tuæ, perpetuo huius favoris memorem futurum: quam eandem demisse oro: ut in posterum me meaque studia sibi commendata habere velit. Vos quoque, Clarissimi Academicæ procures, de amore in me vestro valde amo: spondeoque, me si nō remuneratorem: at prædicatorem certè eximij vestri erga me affectus futurum. Quod idem recipio uniuersis & singulis, qui silentium in audiendo, candorem in iudicando mihi vel præstiterunt, vel præstituri sunt.

Dixi.

CVI CIO ONND

IMPRESSVM

HEIDELBERGAE

Apud heredes Abrahami
Smesmanni.



Anno CIO IC IVC.